



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Secunda Conclusio. In electionibus Ecclesiasticis non est licitum uti
sortibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

ad Honoratum, annumerari potest, si inter ministros Ecclesiæ fieret disceptatio, qui eorum persecutionis tempore manere deberet, ne fuga esset omnium, & Ecclesia omninò relinqueretur, & qui fugere deberent, ut aliqui in futurum reseruantur pro Ecclesiæ utilitate, sorte lis finienda est. Idem possit esse casus, si tres aut quatuor tempore pestis curam haberent, & non omnes vellent periculum subire, nec etiam Ecclesiæ expediret. Mos autem capiendi sortes ex vrna, vel situla, vel hydria aquæ, antiquissimus est, ut patet ex illo Plauti in Cassina, ubi senem Virginis amatorem postquam id, quod cupiebat, à seruo impetrare non potuit, inducit ita loquentem:

*Intrò abi, at q̄ actutum uxorem huc euoca
ante ades citò.*

*Et situlam huc tecum afferto cum aqua, &
sortes.*

Secunda Conclusio. *In electionibus
Ecclesiasticis non est licitum uti sortibus,*

CAP. Ecclesia vestra, de Sortileg. & can. Non statim. & cap. Non exemplo. 26. q. 2. & hæc est communis tam Theologorum quam Canonistarum sententia. Et ratio redditur, quia huiusmodi electiones Spiritus sancti

sancti inspiratione fieri debent. Et si forte aliqua fieret electio, aut nulla esset, aut certè cassanda Panormit. & alij in d. c. Ecclesia vestra. Siquis obijciat, Actor. i. S. Matthias sorte ad Apostolatam electus est: ergò potest electio in Ecclesiasticis sorte fieri. Respondet S. Hieron. super Ionę i. cuius verba referuntur 26. q. 2. c. Non statim debemus sub exemplo Ionę sortibus credere, vel illud de actibus Apostolorum huic testimonio copulare: vbi sorte in Apostolatam Matthias eligitur: cùm priuilegia singulorum non possint legem facere communem.

Tertia Conclusio. Sors consultoria, quando expectatur iudicium à Deo, & quasi ad eum recurritur pro cognitione euentus sortium, est licita,

PROVERB. 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Quando enim humanum non superest auxilium, tunc ad diuinum recurrendum. 2. 2. q. 2. can. Queritur. Nemo debet tentare Deum suum, dum habet, quod rationabili consilio faciat. & 23. q. 8. c. Si nulla. Ad idem facit illud 2. Paral. c. 10. Cùm ignoramus quid agere debeamus: hoc solùm habemus residuum, vt oculos ad te Domine leuemus. Idem clarius habetur 26. q. 2. c. Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas Pro-

Kk j pheta